

inepte, de hac re disputatum est, quare denuo de eadem sexcenties dicta repetere instituis? — Bona verba precamur, ita nos forte obloquenti. Quamuis enim multa, egregia quoque, & doctiora, quam quae a nobis proferri possint, de hac re scripta sint, tamen non omnino fore superfluum existimauimus, paucis exponere, quare id nobis placeat, quod plurimi in hac quaestione sentiunt. Nam qui communem illam opinionem tuentur, rationibus ad suffulciendam eam vtuntur, quae nobis non omnino probantur. Existimamus autem, vt omnem nostram de hac re opinionem paucis exponamus, 1) iuris quidem naturalis rationi magis conuenire, vt possessor id, quod locupletior factus sit, restituat, 2) Romanos autem ab hac iuris naturalis simplicitate in totum recessisse, ita quidem, (a) vt regulam posuerint praecepto naturali plane contrariam, (b) eamque seruauerint in iudicio singulari, (c) exceptionem vero, ob rationes plane singulares, admiserint in iudicio vniuersali, vt ne in hoc quidem simplicitatem iuris naturalis sequuti sint, sed decisionem suam, quamuis ea, si materiam consideres, iuri naturali conueniret, longe aliis rationibus *superstruxerint*.

### §. III.

Primum autem, quod diximus, secundum ius naturae, bonae fidei possessorem teneri de fructibus consumtis, ex quibus aliquid ad ipsum peruenit, non multum dubitationis

tationis